Sup Jure Ville secce

In xpi nomine amen. Sit notum cunctis quod Nos petrus dei gra Rex aragon
et Comes barchinone attendentes multa grata et accepta servicia que tu
dilectus et fidelis noster nr bngarius de Solzina nobis diu fecisti studu
isti fideliter exhibere et devote corde bono et spontanea voluntate cum hac
presenti publica perpetuo valitura damus et concedimus tibi et tuis
in perpetuum totum jus et dominium quod habemus et habere debemus aut possemus
aliquo modo vel aliqua ratione in villa secca que est sita in Campo Ter
rachone et in terminis eius et in habitatoribus eiusdem presentibus et futuris et que
quid etiam nomine vel ratione seu occasione questione colte forcie bovatici mo
netatici succursus seu compensi vel alterius cuiuslibet exactionis sive
demande regalis aut generalis vel specialis gracie vel violencie Ita quod
habitatores omnes presentes et futuri et etiam domini ville predicte ac terminorum eius
tibi et tuis donent et faciant semper et dare ac facere teneantur quicquid
et quantum ex ipsa villa et suis terminis nobis dare aut facere tenerentur aut
deberent aliquo modo aliqua occasione vel aliqua ratione. Hec itaque omnia
supradicta et singula tu predictus bngarius de Solzina et tui in perpetuum habea
tis plenarie teneatis potenter et jure hereditario possideatis integre et sine omni
diminucione in pace per tuam hereditatem propriam et tuum alodium francum
liberum quietum ingenuum et inmune ad dandum vendendum impig
norandum comutandum legandum et aliis modis alienandum et ad

omnes alias voluntates vestras vestrorumque voluntates inde libere faciendas / sine vol-
lo nostro nostrorumque retentu / et sine vinculo / et contradictione cuiuslibet persone
sicut melius plenius sanius / et perfectius dici scribi intelligi vel excogitari potest /
ad vestrum comodum / et vestrorum / Datum Perpiniani .xvj. kalendas aprilis Anno
Dominice incarnacionis Millesimo cc°. xij.:–

Signum + Petri dei gracia Regis Aragonum et Comitis
Barchinone /

Testes huius rei sunt /

Dompnus Nunus Sancii

Michael de Lusia / Dalmacius de Crexello / Bernardus de Portella /
Petrus de Ahonesio / Raimundus de Palacio / Bernardus de Senrells
G. de Montecatano / Poncius G. de Turricella / Bernardus Ugonis de Fratoga
Guillelmus de Crexello Raimundus de Castrouetulo Bernardus de Monteregali
Guillelmus de Castronovo
G. de Cinano

Ego Ferrarius notarius domini Regis SS.

Signum Bonanati qui mandato domini Regis pro Ferrario notario suo / hoc scripsit loco die et anno prefixis

Aluarus Guterrez / maiordomus Gassias Guterrez Didacus / Ferrandus Guillelmus de Alcalano / Petrus Justicia Terrachone /

Ego Ferrarius notarius domini Regis hoc scribi feci mandato ipsius loco die et anno prefixis